

unde eum culparet, e generis obscuritate materiam spernendi eum arripuit, appellando eum filium Isai, qui non ita pridem unus e populari turba vitam egerat rusticam et pastoritiam. Nihil humile in Davide repererat, virtutem et victorias cernebat: parentelam igitur carpit, in qua nihil erat eximium: non attendens, quod et ipse e simili stirpe prodiisset, et asinos secutus esset, I. Reg. XX. et IX. Rursum suum Jonathan appellat filium mulieris virum ultra rapientis, hoc est, meretricis. Non poterat ei ignobilitatem patris exprobrare, nisi seipsum vellet arguere; itaque sordes et turpitudinem matris objicit dicto, cap. XX. Hunc fere imitantur invidi et nequam alii homines, qui ut viros bonos sibi similes reddant, sordes eorum quærunt et in lucem protrahunt, flores vero tegunt.

VI. Audimus Christi hostes, impios videhæet, suo tempore puniendos, et quidem severissime. Ita enim ad Filium Deus Pater: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, q. d. quiesce hic a militia tua in gloria mea, donec subjicam tibi omnes inimicos tuos in die judicii. Subjecit ei jam dudum perfidos Judæos, interfectores suos, cum eos templo, urbe, patria, terra ejecit, et per orbem dispersit ut ubique essent exules, et omnium mancipia. Typus illorum Cain fuit, qui ob cædem fratris innocentissimi vagus et profugus fuit super terram. Idem ipsis contigit, quia: *Vox sanguinis fratris eorum (Christi) clamat ad Deum de terra*. Pulchre eis hoc prædixit David, Ps. LVIII. cum ait in persona Christi: *Deus ostendit mihi super inimicos meos. Ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei* (gentiles scilicet ad me conversi.) Quid ergo? *Disperge illos in virtute tua, et depone eos protector meus Domine*. Factum ut postulatum: dispersi sunt in gentes velut ollæ fragmenta, et depositi sunt e sede sua, positique in scabellum Christi et Christianorum. Subjecit ei paulo post etiam gentiles, tyrannos et persecutores ejus, quos fere omnes violenta et turpi nece sustulit, aut certe e regno deposuit, uti Diocletianum et Maximianum. Pauca hic videamus; nam pleraque alibi recensuimus. Magnus Christi inimicus fuit Valerianus imp. qui tantam in Christianos excitavit persecutionem, ut Dionysius Alexand. existimarit tunc impletam esse persecutionem antichristi, descriptam in Apocal. apud Baron. ann. 259. Verum paucos post annos deposuit eum Deus, et captivum subjecit regi Persarum, ut fieret ei scabellum pedum, in equum consensuro. Quodque magis mirandum, pressit eum sub hac servitute, quasi scabellum pedibus suis usque ad ejus obitum, supra annum vitæ sep-

tuagesimum. Neque enim Persa voluit eum dimittere; neque filius Gallienus patrem suum redimere. Insignis etiam Christi inimicus fuit Sejanus consul Romanus, qui Tiberio imp. niti Christum inter divos referre, obstilit (quamquam hoc Christo parum honorificum fuisset.) Hic ergo toto orbe celeberrimus cum alter quasi imperator haberetur et aureo curru in theatrum veheretur, sibi que tamquam deo res sacras fieri permetteret; repente litteris imperatoris depositus ducitur in vincula, capite mulctatur, ad gemonias scalas unco trahitur, triduo habitus ludibrio a populo, post in Tiberim projicitur, liberi ejus carnifici necandi, et imprimis filia (mirum auditu) eidem carnifici prius constupranda, traditi, Dion. l. LVIII. apud Baron. an. 34. Gentilibus exterminatis subjecit ei hæreticos tollendo unum post alterum et detrudendo sub scabellum, quandoque etiam turmatim integros eorum exercitus, quod testatur matutinum Parisiense S. Bartholomæi, quo durante Huguenotti sunt trucidati, interneccio rusticorum rebellium, Lutheri spiritu afflatorum, supra centum millia, in bello Schmalcaldico. Nec præterit impios catholicos, quia et ipsi Christi inimici sunt. Quis non audivit aliquid de vesperis Sicilianis? « An. 1281. inquit Genebrardus, l. IV. chron. ex Æmilii l. VII. Siculi impatientes libidinis et insolentiæ militaris Gallorum, die paschæ ad pulsum campanarum convocantium ad vespas, omnes Gallos ad unum supra octo millia, cum uxoribus etiam gravidis, intra duarum horarum spatium contrucidarunt. Unde proverbium: *Vesperæ Sicilianæ*. » Hunc vel similem in modum subjicet Deus Pater Filio suo omnes alios hostes ejus, simulque subjectos et prostratos sistet in die judicii. Diu quidem expectat Dominus supplicium inimicorum suorum, sed moram tamen illam gravitate compensabit. Quid enim quæso significat poni scabellum pedum Christi? Quis hoc nobis explicabit? Meo judicio significat primo, detrudendos esse impios in locum omnium infimum, hoc est, in infernum, a cælo et luce remotissimum: secundo, in locum omnium fœtidissimum, quo omnes sordes et putores confluent ad torquendos illos: tertio, in locum contemptissimum maximeque infamem, ubi omnis generis nebulones vinculis prementur et quasi pedibus calcabuntur: quarto, in ergastulum perpetuum, ubi per omnem æternitatem prementur et comprimentur, ne emergere queant, immani illo pondere furoris divini seu implacabilis iracundiæ.

VII. Videmus hæreticos, quorum typum gere-

bant Sadducæi et Pharisei convinci argumentis posse, ut nihil amplius obloqui possint, converti tamen facile non posse. Obstruxit enim Christus sapientissimis suis responsis ora Herodianorum, Sadducæorum et Phariseorum, ita ut non possent ei respondere verbum, nec audent amplius interrogare eum; verum posthæc conversi sunt? Minime vero; quales venerant, tales abierunt: lapides ante et post pluviam, æque semper duri. Bene horum pertinaciam depinxit S. Judas in canonica sua epistola. Primo, appellat eos *sectatores Cain*, quia ut Cain increpitus a Deo non respuit, sed magis obduruit et a facie Dei fugit; ita etiam illi, ut videre erat in eorum primo parente Simone mago, qui objurgatus a S. Petro pejor factus est: secundo, *imitatores Balaami*; quia ut Balaam etiam post gravissimas Dei minas, rediit ad ingenium suum, et scandalum posuit Hebræis, ita hæretici vix dimoveri a proprio sensu possunt, et dimoti ad eundem redeunt: tertio, *sectatores Core*; quia ut Core leniter a Moyse correptus, arroganter respondit et monentem sprexit; ita et isti obstrepunt monitis salutaribus: quarto, *nubes sine aqua*, h. e. steriles, quæ nullam advehunt pluviam ad irriganda corda sua: quinto, *arbores autumnales, bis mortuas*, hoc est, eradicatas; a quibus nullus omnino sperari fructus potest: sexto, *fluctus feri maris*, qui nullo refrænari impetu possunt: septimo, *sidera errantia*, quæ inconstantes habent motus, ideoque erraticæ dicuntur; quales et hæretici, qui de uno errore in alium labuntur.

Sed quamobrem Pharisei videre noluerunt tam clarum Scripturæ de Christo testimonium? Propter odium in Christum; id enim est trabs in oculo et quid mirum si excæcat illum? Deponendum igitur odium, si Christum Dei Filium volumus videre. Confirmat hoc historia, quæ extat apud Tho. Campensem, et refertur a p. Rodriguez, p. I. exerc. tr. IV. c. XIV. « Sacerdos quidam, inquit, notæ sanctitatis vir et Thomæ hujus in eodem monasterio æqualis, proficiscens certo consilio ad aliud quoddam monasterium, offendit per viam sæcularem quemdam cui ex composito se adjunxit, familiariterque aliquamdiu cum eo collocutus, ad spiritualia demum colloquia digressus est. Hic ille: Committam tibi aliquid, pater, quod jam pridem mihi usu venit. Diu jam est, ex quo dum rei divinæ intersum, sacram hostiam sacerdote sacris operante videre non possum, ratus initio id vel ex distantia sacrificantis oriri, vel ex oculorum meorum imbecillitate; accessi ad eum propius, imo proxime, sed et hoc incassum. Et quidem

annus ex eo jam abiit. Animi anceps, totusque perplexus ac conturbatus in eam veni cogitationem, rei seriem ut ab ovo, confessario retererem. Feci; ille, ut erat prudens, quærere pro confessione incepit, nihilne lateret in mente abditum adversus quemquam inimicitia? Equidem inquit; et vero tam atroci injuria talis me affecit, ut nec jam quidem animus sit ipsi noxam, vel totius mundi pretio constituto, remittere. Insanis, inquit confessarius, mi amice: grave illud saxum de durissimo corde tuo remove; quod nisi facis, frustra es; nam et de salute æterna certissimo periclitaris et sub sacratissimis illis speciebus Christum servatorem tuum nunquam videbis. Hæc siquidem omnis, mali radix et causa. Gratia Dei fuit, ut vir ille sanctus confessarius meus adamantinum cor meum emolliret. Detestatus ergo crimen meum, accurata exomolgesi illud elui, Filii Dei, Christi Domini sacratissimo corpore me pavi, inimico, ex animo, illatam injuriam condonavi, ecclesiam ingressus missam audivi, Deum Dominumque meum toties, frustra ante hac intueri conatus, ineffabili animi lætitia vidi. Ob quod tam luculentum Dei in me beneficium, quoad vivam, gratiarum actiones referre nunquam intermittam. »

## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

- I. Quid est diligere Deum ex toto corde, etc? — II. Quare diligendus ex toto corde? — III. Cur vult a nobis diligere Deum? — IV. Cur præceptum dilectionis primum et maximum? — V. Quomodo oportet diligere proximum sicut teipsum? — VI. Quare Phariseis proposuit Dominus quæstionem de Christo?

## THEMA.

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Matth. XXII.*

Ezechieli ostendit aliquando Deus librum per visionem et dixit ei: *Fili hominis comede volumen istud*, hoc est, memoriæ commenda, rumina et perpende quidquid tibi per visionem quasi in libro ostendo. Notanda vox, auditores; non enim ait Dominus: *Comede partem voluminis*, vel aliquid de volumine isto, sed: *Comede volumen totum*, videlicet et quidquid in eo scriptum est, volumen quod a nobis comedi vult Deus, est liber evangeliorum, propterea namque illum toties nobis proponit in templo explanandum, ut ab omnibus capiatur et memoriæ mandetur. Neque satis nobis esse debet, si unam vel alte-

ram evangelii particulam capiamus, sed ad hoc adniti debemus, ut totum intelligamus, et singula etiam verba pro viribus expendamus. Ut enim qui metalla eruunt, si venam auream invenerint, omnes ejus meatus perscrutantur, nec minima ejus frusta contemnunt: ita multo magis faciendum cum evangelio, quod meras auri ælestis venas passim undique continet; unde minima etiam verba in eo expendenda et conservanda sunt. Porro cum hodiernum evangelium præclaram nobis venam, aureæ dilectionis ostendat, eam nunc rimari et quantum fas est, totam eruere volumus.

I. Quid est diligere Deum ex toto corde et in tota anima et in tota mente? Resp. phrasin hanc esse Hebraicam, qua idem pluribus inculcatur ad majorem energiam; cujus rei signum est, quod pro hisce tribus interdum Scriptura ponit quatuor, ut Luc. X. interdum duo tantum ut Deut. X. Idem ergo hæc omnia significant, videlicet ut diligamus Deum super omnia, seu toto et summo amore (non intensive quod in cælo expectamus), sed primo comparative, ut scilicet ita totum cor et affectum Deo demus, ut nullam ejus partem demus diabolo aut peccato, quomodo Moyses nec ungulam de pecoribus suis voluit relinquere Pharaoni, Exod. XX. Secundo, finaliter, ut in genere Deum habeamus quasi finem omnium nostrarum actionum, eumque ut talem omnibus rebus præferamus, omniaque perdere malimus, quam Deum Deique gratiam. Tertio, appetitive, ut applicemus totum cor seu voluntatem ad obediendum ejus legi, et ut ejus voluntati per omnia nos conformemus.

Possunt tamen hæc distingui (quod faciunt aliqui ss. patres), ita ut per cor intelligamus intelligentiam; per animam voluntatem; per mentem memoriam, ita ut omnia ista Dei amori impendere potius debeamus, quam ipsum abnegare vel lethaliter offendere. Diligit ergo Deum ex toto corde, qui omnes suas actiones per rationis intentionem dirigit ad Dei gloriam, ad virtutem et honestatem, ut Deo in omnibus placeat: qui in oratione et contemplatione intelligentiam crebro occupat: qui scientias et studia sua ad Dei cultum applicat dirigique.

Diligit in tota anima sua, qui voluntatem suam cum divina in omnibus conformat: qui amorem suum primarium et summum soli Deo impendit, cætera in ordine ad Deum amat: qui mori potius paratus est, quam offendere Deum.

Diligit, ex tota mente, qui Dei semper meminit. De qua re monuit Tobias filium suum: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, c. IV.* Idipsum suos discipulos docuit Sanctus Pe-

trus: *Instruebat actus suæ vitæ omni hora custodire et in omni loco Deum respicere, ait Sanctus Clemens, epist. ad Jacobum frat. Domin.* Qui enim vere amat, crebro recordatur amati.

II. Quare diligendus Deus ex toto corde? Respondeo primo, quia est creator et conservator cordis humani et omnium honorum, quæ in eo sunt, decet igitur ut hæc in illum resfluant. Secundo, quia cordi tribuit capacitatem infinitam, ita ut nulla re satiari queat præterquam ipso Deo: æquum igitur est, ut toto corde ille quaeratur et ametur, qui solus totum cor implere potest. Tertio, quia Deus ut principium, ita et finis est hominis: ut ergo ad centrum coeunt omnes lineæ, ad scopum diriguntur omnia jacula, uti flumina omnia tendunt in mare unde exeunt, elementa ad suum centrum; ita ad Deum omnes actiones et affectiones dirigere fas est. Quarto, quia et summe amabilis, utpote summum et perfectissimum honorum: jure igitur amatur, quantum amari potest; ergo ex toto corde; cætera enim bona fumus et umbra sunt; nec merentur locum aut sessionem habere in corde humano: *Omnis enim copia, quæ Deus meus non est, egestas est, ait Sanctus Augustinus.* Hinc Sancta Catharina Sennensis amore Christi sponsi sui saucia ut in Christi amorem tota transiret, instanter ab eo petiit, ut a se cor suum et propriam voluntatem radicibus evelleret. Quare visa sibi est videre Christum cor sibi eximentem et post dies aliquot cor aliud illustre substituentem ac dicentem: *Ecce filia habes pro corde tuo, cor meum.* Inde amore Christi penitus æstuaræ cepit, ut in ejus vita.

III. Cur vult a nobis diligere Deum? Respond. primo, ut hujus mundi exilium facilius toleremus et calamitosum istud pelagus suavius pernavigemus. Quid enim non alleviat amor? Et quid sine amore, non grave et fastidiosum est? Septem anni servitutis videbantur Jacobo pauci dies, quia Rachelem, pro qua serviit, amavit, Genes. XXIX. Herbas illas præ amaritudine comedere non poterant filii prophetarum, IV. Reg. IV. unde exclamarunt: *Mors in olla vir Dei.* At ubi Elisæus farinam ollæ injecit, dulces et comestibiles factæ sunt. Quare si paupertas, ægrotudo, injuriæ contemptus dorsum tuum premunt et amaritatem afferunt, mitte in cor tuum Dei dilectionem, cogita te hæc omnia pro Dei amore pati: fientque tibi dulcia. Denique, si vis in mundi calamitatibus vitam suavem et quietam agere, Deum ama. Secundo, ut habeat unusquisque auream monetam, qua cælum sibi comparet. Quod aurum in metallis, hoc charitas est in virtutibus, teste apost. I. Corinth. XIII. *Major horum*

est charitas. Aurum vero istud nemo non exhibere Deo potest. Si Deus requireret sapientiam, nobilitatem, opes, possent se excusare rudes, infirmi, plebei, pauperes: si requireret eleemosynam, jejunia vel similia opera, multi similiter se excusarent, quia hæc facere nequeunt. Sed quis dicere potest, se non posse amare bonum summe amabile? Multi sunt in cælo, qui nunquam jejunarunt, nullam eleemosynam dederunt, neminem docuerunt, nunquam orarunt: sed nemo, qui non amat Deum. Nemo est qui tributum hoc pendere Deo nequeat. Tertio, quia amor non vult nisi amore compensari. Cætera obsequia pecunia vel honore, et aliis modis compensare possumus; veluti si cui medemur, pingimus, scribimus, aramus, metimus; non requirimus ut is vicissim nobis medeatur, pingat, scribat, aret, metat, sed contenti sumus pecuniaria vel alia difformi compensatione. At si quem amamus, ab eodem redamari volumus, alioquin nobis minime satisfactum existimamus et ingratum illum vocamus. Jam vero Deus mille modis prior dilexit nos: vult ergo et a nobis diligere, cæteris obsequiis, si amor desit, minime contentus. Denique, quia pretiosissimum, quod homo de suo peculio offerre potest, amor est: per hunc enim tradit se et cor suum amato. Quamdiu sponsus cor et amorem sponsæ reciprocum non habet, nihil se habere existimat. Debetur autem Deo summo nostro benefactori et amatori summum quod dare possumus: hoc est amor.

IV. Cur præceptum dilectionis primum et maximum dicitur? Resp. primo, quia: *Finis præcepti charitas, inquit apostolus I. Timoth. I.* Nec solum præceptorum omnium finis est charitas, verum etiam omnium sacramentorum et virtutum totiusque religionis christianæ, quæ ultimate eo tendit, ut hominem cum Deo honorum omnium fonte perfecte conjungat, quod per charitatem solam fieri potest. Hinc in cælo fides et spes, leges et sacramenta locum non habent, quia media et instrumenta tantum sunt ad finem illum obtinendum qui est conjunctio cum Deo. Sicut ergo machinæ removentur a turri, cum ejus structura absoluta est: ita quando homo perfecte unitus est, desinit fides, spes, lex.

Secundo, quia omnia alia mandata comprehendit. Qui enim diligit Deum, diligit profecto omnia quæ Deus diligit, eoque magis, quo magis ea Deus diligit. Diliget ergo omnes homines, utpote a Deo dilectos et ad imaginem ejus factos. Si vero diligat proximum: *Legem implevit, Roman. XIII.* ac proinde malum non operabitur, nec ulla in re offendet proximum. Quomodo

enim offendas eum, quem diligis? Unde Sanctus Augustinus, in I. Joann. IV. tract. VII. ait: *Dilige, et fac quod vis, q. d. si diligas, non peccabis unquam.*

Tertio, quia maximum et præstantissimum est, quod Deo dare possumus; charitas enim radix et fons est omnium honorum et donorum. Cum quem ardentem diligis nihil est, quod ipsi non libentissime dones, nihil quod ei neget, nihil quod pro eo non facias. At contra si quem non amas, quam difficulter ei vel minimam rem donas? Unde hoc? Nisi quia aperto charitatis fonte procurrunt rivuli donorum: eo vero clauso sistunt? Qui turpi amore mulierculas amant, sæpe totam suam substantiam in eas effundunt: contra Christi pauperibus ut vel nummum dent; vix permoveri possunt. Quoniam igitur Deo omnia nostra debemus, par est, ut ipsi demus, saltem id quod est præstantissimum. Sane charitatem tanti æstimat Deus, ut inde sibi nomen quaesierit: *Deus enim charitas est, inquit S. Joannes, epist. I. c. XLI.* Eadem Deum cum homine intime unit, ut ibidem testatur Joannes: *Qui manet in charitate, inquit, in Deo manet, et Deus in eo.*

Quarto, quia charitas ostendit, quis et quantus sit homo. Quis, id est, an Filius Dei vel diaboli sit. Audi S. Aug. tract. I. in epist. Joan. « Signent se omnes, inquit, signo crucis, respondeant: Amen, cantent Alleluia, baptizentur omnes, intrent ecclesias, faciant parietes basilicarum; non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi charitate. » Quantus, id est, quam perfectus. De hoc S. Bern. serm. XXXVII. in Cant. « Quantitas, ait, cujusque animæ æstimatur de mensura charitatis, quam habet. »

Quinto, quia est vinculum perfectionis: « Sicut nihil prosunt, inquit S. Chrysost. in cap. III. ad Coloss. sed diffuunt partes navis, si desint tabulata, et contignationes, et ligamenta, quibus inter se devinciantur; ita nec virtutes cætera aut virtutum opera, nisi in charitate fiant. Charitas aliarum virtutum vita est, sicut anima membrorum corporis. »

Sexto, quia maximam habet mercedem. Sic enim ait apost. I. Cor. II. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Imo etiam minimis maximum valorem tribuit: *Qui enim dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam, Matt. X.* Ratio est, quia charitas meritorum origo est. Unde qui opus ex se licet exiguum majore charitate perficit, majorem obtinet mercedem; uti operarii vineæ postremi, qui æqualem cum primis mercedem acce-

pere; et vidua, quæ duo ærea minuta misit in gazophylacium, plus omnibus misit.

Denique, quia cæteræ virtutes desinunt in cælo, charitas semper manet.

V. Quomodo oportet diligere proximum sicut seipsum? Resp. primo, diligendum proximum amore naturali, cujus duo præcepta sunt. Unum indicat Christus, Matth. VII. *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*: alterum, Tobias, c. IV. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*. Secundo, amore supernaturali; ita ut amor proximi oriatur ex amore Dei seu ut ametur proximus propter Deum; quomodo etiam nos ipsos diligimus propter Deum. « Charitas vera est, inquit S. Greg. hom. XXXVIII. in evang. cum et in Deo diligitur amicus, et cum propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui jam et eos diligere, a quibus non diligitur, scit. »

Resp. secundo, secundum D. Thomam, II. II. q. XLIV. art. VII. diligendum esse proximum sancte, juste, vere. Primo, sancte, ut sicut aliquis ex charitate seipsum diligit propter Deum et secundum bona supernaturalia; ita etiam pro-

ximum diligit: secundo, juste, non expetendo proximo malum aliquod, sed quod bonum est; sicut sibi quisque tantum bona velle debet: tertio, vere, ut quis diligit proximum propter ipsius proximi commodum, amore scilicet veræ amicitiae.

VI. Quare Christus Pharisæis proposuit quæstionem de Christo? Resp. primo, ut ostenderet sapientiam suam, non ab hominibus, sed e cælo haustam, sicque illi fidem faceret, quod de cælo venerit. Secundo, ad retundendam ambitionem Pharisæorum, qui, se omnia scire putabant, et variis quæstionibus paulo ante propositis nitentur Christum capere in responsione. Unica ergo quæstione eaque omnibus scitu necessaria, eos mutos facit adeoque indoctos esse ostendit. Tertio, ut doceret nos utilia et necessaria imprimis, non ludicra et inutilia pervestigare; sicut fecerant Pharisæi qui inutiles quæstiones ipsi proposuerant. Quarto, ut doceret fidem operibus et opera fidei jungenda, nec unum sine altero sufficere; ideoque post commendatum dilectionis mandatum, requirit rectam in Christum fidem.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### QUOMODO EX TOTO CORDE DEUS DILIGENDUS.

- I. Ut nihil æque ac Deum, multo minus aliquid supra eum amemus. — II. Ut pro eo omnia dare velimus. — III. Ut omnia ejus præcepta servare velimus. — IV. Ut leviores etiam offensas evitemus. — V. V. totam nostram spem in Deo colloceamus.

#### THEMA.

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*  
Matth. XXII.

Mirabilis contentio coram Salomone agitata describitur, III. Reg. III. inter duas mulieres, eodem in cubili cum infantibus suis dormientes, quarum una in somno oppressit filium suum, mortuumque clam cum alterius vivente commutavit. Cumque hæc repeteret filium, illa vero negaret, sed suum esse contenderet, jussit Salomon judex gladium afferri ad dissecandum infantem vivum, de quo erat contentio, ut pars infantis uni, pars alteri daretur. Quod ubi audivit ea quæ vere mater infantis erat, servari infantem jubet:

altera nequaquam, sed dividendum esse clamat. Ex quo non hæc, sed illa deprehensa est esse mater. Non absimilis contentio est inter Christum Deum ac Dominum nostrum, et inter cacodæmonem de corde et amore hominis. Christus, qui nos genuit per baptismum in sanguine suo, repetit cor nostrum velut suum fœtum: dæmon, qui non genuit, sed oppressit hominem sua suggestionem, contendere non veretur sibi id deberi. Cumque id nullo jure ad se rapere queat, petit ad extremum, quod impudens illa mulier: *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur*. Contendit inquam Satanæ, ut qui totum hominis cor ad se trahere facile nequit, saltem in quam plurimis ut vel ejus partem obtineat. Contra impudentem istum humani generis hostem præcipit in hod. evang. Christus serio et inculcat nobis mandatum Patris sui: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, q. d. vide ut totum cor et amorem tuum Deo tuo impendas, ac ne dividi patiaris, ut partem Satanæ vel minimam concedas. Quod qua ratione facere quisque debeat, videamus.

I. Ut nihil æque ac Deum, multo minus aliquid supra Deum amet, sed ipsum solum, reliqua

propter ipsum. Magnus nimis est Deus, qui et jure suo possidet cor nostrum, unde amorem ejus reciprocum requirit nec corrivalem admittit. Unde Exod. XX. ait: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes*; seu ut Deut. V. repetit: *Æmulator*. Quia, scilicet, hominis animam tantopere amat, ut non sinat eam impune fornicari, seu alteri creaturæ adhærere: quemadmodum et virzelotypus amans valde conjugem, alterum ei amasium minime concedit; ac si quem talem deprehendat, inultum non dimittit. Dux quidam Oppaviæ cum uxori, quam ex Lithuania acceperat, obviam ivisset, et hujusmodi adolescentem corrivalem in comitatu ejus deprehendisset, parum aderat, quin eum canibus dilaniandum objiceret, teste Æn. Sylv. I. IV. commen. in Panorm. Multo majorem Deus animarum zelum habet, quas non solum condidit, sed et sanguine suo reparavit sibi que despondit. Hinc illis adulterantibus jure merito irascitur S. Jacob. c. IV. *Adulteri, nescitis quod amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus hujus sæculi fieri, inimicus Dei constituitur*. Adulteros appellat, qui, deserto Christo, sponso suo (de quo apost. II. Cor. XI. ait: *Respondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*) perfidi adhærent per amorem mundo et creaturis, sicque Dei inimici fiunt, qui sponsæ esse deberent. Idem exprobravit Elias Hebræis, alienos deos sectantibus, III. Reg. XVIII. *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum*; jussitque apprehendi et occidi 450. prophetas Baal. Pari in causa Samuel exhortans populum Hebræum, I. Reg. VII. ait: *Si in toto corde vestro revertimini ad Deum, auferte deos alienos de medio vestri Baalim et Astaroth, et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli*. Ecce totum cor vult habere Deus, et serviri ipsi soli. Nihil vero minus faciunt, qui alteri creaturæ præter Deum adhærent per amorem, quam fecerint Hebræi ad idola deflectentes; nisi quod illi abjiciant solum charitatem Dei, hi vero etiam fidem eliminarint. Quærit S. August. I. I. de consensu evang. c. XVII. cur Romani Christum (ad petitionem Tiberii Cæsaris) in deorum suorum numerum admittere noluerint: *Nam, inquit, coluerunt aliarum gentium deos, quas Romanum subjecit imperium, præsertim cum eorum sententia esset, omnes deos colendos esse sapienti*. Et respondit ib. c. XVIII. *Nihil restat ut dicam, nisi quia (Christus) solum se coli voluerit*. Totum enim affectum, totam animam postulat, omnem cultum et amorem sibi uni poscit, neque aliorum deorum communionem admittit. Qui creaturam aliquam plus aut æque amat ac Deum, idolum ei adjungit in corde suo; hinc igitur pu-

gna et contentio oritur in conscientia, in qua Deus, velut legitimus sponsus et inhabitator, illico indignatur et quasi obmurmurat, reprehenditque sponsam, donec hostem ejiciat: ac nisi ea id quam primum faciat, plagas ei accumulatur: *Quem enim diligit Dominus, castigat*, Heb. XII. Non patiebatur in eodem utero lenis et Sanctus Jacob hirsutum et flagitiosum Esau: nec Christus Sanctus sanctorum tolerat in corde nostro, imo potius suo, tam caro a se empto, hircum illum satanicum. Videant ergo quid agant, quantum adulterium committant et quanta injuria Christum sponsum suum onerent, qui cor suum alteri quam ipsi impendunt. Procul ab hoc scelere, tunc saltem fuit David, quando dixit, Ps. LXXII. *Quid mihi est in cælo? Et a te quid volui super terram?* Seu ut ex Heb. legi potest: *Tecum non volui socium super terram*. Ecce neque in cælo aliquid extra Deum esse protestatur, cui amorem suum vellet impendere; multo minus in terra. Si ergo neque angeli, nec cælestes deliciae dignæ sunt, quæ admittantur in conclave cordis nostri, ut pari amore cum Christo diligantur; quomodo res terrenæ in cor admitti possunt? Sed audiamus S. Chrysost. in hunc Matth. locum, h. XLII. scribentem: « Quid est, inquit, diligere Deum ex toto corde? Id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius quam ad Dei: nec delecteris in aliqua specie mundi amplius quam in Deo; non in honoribus, non in auro vel argento; non in possessionibus aut vineis; non in animalibus aut mancipiis; non in ornamentis aut vestibus; non in filiis aut parentibus, aut amicis; sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horam amor tui cordis fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas Deum: pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum. Ecce si vir habeat uxorem, quomodo cognoscitur uxoris plena dilectio? Uxor neminem debet sapienterem reputare quam virum suum; etsi sit alter sapientior, tamen illa sapienterem esse alterum intelligere non debet; uxor neminem fortierem debet putare quam virum suum; etsi alter fortior sit, tamen illa intelligere non debet alterum fortierem; uxor neminem formosierem debet putare quam virum suum; etsi alter formosior, tamen coram oculis ejus alter formosior apparere non debet. Perfectum enim odium et perfectus amor judicium rerum non cognoscit: ut puta, si perfecte odisti aliquem, qualiacumque fuerint apud illum, omnia tibi displicent, sive quæ dicit, sive quæ agit: etsi vere bona sint, tamen tibi mala videntur. Sic et si perfecte ali-